

sacro, decimâ ante meridiem horâ quadriremem conscendit, ac cum eo Joannes Lusitanus, Imperatricis frater, exoneratisque omnibus tormentis, sublati anchoris dant vela. Quastius, seu ut alij, Vastius ac Fürstenbergius, Hispanum, Italum, ac Germanum peditem triremibus imponentes jam antea in Siciliam pervenerant : universa classis septingentarum navium numerum excedebat. Appellunt in Africa Cæsariani 14. Junij, posteroque die hostium ignes in promontiorum speculis conspiciunt. Occupant triremes portum Farinæ, quatuor milliaribus Guletâ distantem, ubi Cæsar jactis anchoris, onerarias expectat : propius Guletam movet, ac Barbarossam, operitur. Decimo sexto Junij, pedites, equites, ac tormenta in terram exponit, expugnatisque aliquot munitionibus Guletæ appropinquat. Tum turrim aquariam, mox Salinariam, ubi Cæsar tabernaculum figi jubet, milites Cæsariani occupant : Vastius pro more productis tormentis à 18. Junij die, ad 23. usque continuò Guletanas munitiones rumpit; Guletani levibus quotidie præliis, æquatâ classe, cum Cæsarianis certabant. Perit enim è Cæsarianis Comes Sarmensis, è Turcis præfectus Giaffero. Quarto Julij omnibus fere copiis Guletani erumpentes, pabulatores Cæsarianorum invadunt, sed repelluntur. Dispositis terræ marique omnibus tormentis 14. Julij ipsa aurora contra Guletam exonerari incipiunt: duravitque vis usq; ad horam secundam pomeridianam. Tum omni exercitu, qui triginta millium erat virorum ad pugnam parato, cum, Cæsar acies circum equitans militem ad fortiter agendum inflammasset, signum invasionis datur. Cumque aliquandiu acriter esset pugnatum, tandem Cæsariani vi irrumpunt, obviosque omnes sternunt. Cecidere multi, nectamen inulti, captæ 150. Barbarossæ naves in sinum Guletanum subductæ, tormenta quadraginta diversi generis, inter quæ Francia fuere complura liliis insignita, aut Salamandram cum his verbis habentes: Nutrisco & extinguo.



Guletâ captâ relictis ibidem sexcentis militibus, mortuisque magnis fossis coopertis, Cæsar 20. Julij Tuncetum versus movet, Andreâ Aurêâ ad